



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

Qvid sit miraculum, à quo vel à quibus fiat, seu in quibus, quae etiam sit  
causa miraculorum, cap. primum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

# DE MIRACVLIS LIBRI DEGIMI

## CAPVT PRIMVM.

CÆSARIVS.



ON sine ratione post sacramen-  
tum corporis & sanguinis Christi  
tractandum suspicor de miracu-  
lis, quia qui dignè illud conficiūt,  
vel eo participant, nonnunquam  
gloria miraculorum illustrantur.  
Licet enim omnia quæ in supe-  
rioribus distinctionib<sup>9</sup> dicta sunt,

satis sint miraculosa; attamen in præsentī distinc-  
tione aliqua de rebus miraculosis dicere proposui. Et be-  
ne hoc fieri arbitror in distinctione decima, eo quòd  
Ægyptus decem plagis valde miraculosè percussa est.

APOLLONIVS: Quid est miraculum? CÆSARIVS:

Miraculum dicimus quicquid fit contra solitum cur-  
sum naturæ, vnde miramur: secundùm causas supe-  
riores, miraculum nihil est. APOLLONIVS: A quo,  
vel à quibus fiunt miracula? CÆSARIVS: Fiunt

Deo auctore, secundùm quod in Psalmo dicitur: Tu  
es Deus, qui facis mirabilia. Fiunt etiam miracula,

tam per bonos, quàm per malos: de bonis quæstio  
non est; de malis verò Saluator dicit in Euangelio:

Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, non-  
ne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo  
dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fe-  
cimus? Et confitebor illis; Quia nunquam noui vos.

APOLLONIVS: Vellem mihi nunc expediri, ô Cæsari,  
quæ sit causa miraculorum. CÆSARIVS: Causa multi-  
plex est, mihi quæ inexplicabilis: aliquando Deus mi-  
racula operatur in elementis, vt mortalibus suam o-stendat potentiam: aliquando genera dat linguarum,  
sive spiritum prophetiæ, vt manifestet suã sapiētiam:  
aliquando gratiam dat sanitatum, vt suam magnam

pp 4 nobis

*De mira-  
culis in  
genere.*

*Psal. 76.*

*Matt. 7.*



nobis reuelet misericordiam. APOLLONIUS: Satis ex dictis tuis intelligo, Deum esse causam miraculorum principalem, licet finalis causa varietur. Superest ergo, vt quam breuiter expedias, in quibus fiant miracula. CÆSARIUS: In hominibus, in elementis, igne scilicet & aëre, aqua & terra, in anibus, piscibus, animalibus, & reptilibus. Quæ vt magis tibi fiant nota, aliqua de singulis tibi tradam exempla. De sanctis qui nostris fuerunt temporibus, miracula plurima tibi dicere possem, sed scripta aliorum, silentium imponunt mihi: aliqua tamen tibi referam vnde satis nraberis. Nostris enim contigit temporibus quod sequitur exemplum.

## CAPVT II.

*Miracula  
iacta  
in homi-  
nibus.*

**I**N diœcesi Leodiensi, villa quæ Ellselo dicitur, laicus quidam habitabat religiosus, nomine VVinandus, matris monachi nostri VVinandi, a quo nomen traxit, auunculus. Hic tempore quodam peregrinationis gratia, cum quibusdam prouinciæ suæ hominibus Ierosolymam profectus est. In die Pasche, cum post solennia Missarum se ad reditum illi praparent, eisque prædictus VVinandus, vt homo deuotus suaderet, dicens: Conueniens est fratres, vt in hac sacratissima die quiescentes, omnes eius horas peraudiamus: persuadere non potuit; festinantibus eis ad portum, ipse remansit, omniaque diei officia illius peraudiens, solus post eos die sequenti iter arripuit. Cui persona magnæ reuerentiæ, illi in equo occurrès, atque salutans, ait: Cur sic bone homo solus incedis? vel vnde venis? respondente eo: Ab Ierosolymis venio, & sic atque sic mihi contigit. Ille protinus subjungit: Ascende, & sede post tergum meum, bene sequemur socios tuos: quod cum fecisset, eadem die iuxta prædictam villam eum deposuit, dicès: Cognoscis vbi sis? dicente illo: Prouinciam quidem cognosco, sed quid circa me agatur, ignoro. Eques adjecit: Quia Christum honorasti, idcirco missus sum vt te reducerem; ecce domus tua, vade, & enarra mirabilia eius, quæ circa te gesta sunt. Quem cum noti eius vidissent, dixisset que

Vbi